

8.16.6

*Idem AA. et CC. Zosimo.*

Quae praedium in filios a se titulo donationis translatum creditori suo dat pignori, se magis contrario pigneraticio obligavit iudicio, quam quicquam dominis nocet, cum Serviana etiam actio declarat evidenter iure pignoris teneri non posse, nisi quae obligantis in bonis fuerint, et per alium alienam rem invito domino pignori obligari non posse certissimum est.

*S. Vid. Iul. Philippopoli AA. consss.*

[a. 293]

8.16.7

*Idem AA. et CC. Corneliae.*

Si in rem suam accepta pecunia mutua tutor mancipium tuum pignori dedit nec huic post perfectam aetatem consensum accommodasti, pignori res obligari non potuit.

*S. VI k. Ian. AA. consss.*

[a. 293]

8.16.8

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Iohanni pp.*

Nexum non facit praediorum nisi persona, quae iure potuit obligare. Per servum aut, procuratorem colonum vel actorem seu conductorem praeiudicium possessioni invito vel inscio domino imponi non posse et iure et legum auctoritatibus decantatur.

*D. id. Iul. Ravennae Honorio XIII et Theodosio X AA. consss.*

[a. 422]